

260 DE FEBRIUM

applicabis trochiscos de spodio ex ejusdem descriptione.

R. *Trochiscorum de spodio, seminis acetosae ana 3 j. ℥.*

aqua cucurbitæ 3 vj.

misce, & singulis diebus manè accipiat ægrotus 3 j. cum 3 iii. aquarum prædictarum: & ad resumptionem caliditatis hepatis procede sicut in tertiana simplici cum unctionibus & epithematis.

¶ In pituitoso causone, curatio institutur evacuando in principiis, & concoquendo iisdem, de quibus antè diximus, medicamentis, cùm de tertiana notha ageremus; & eodem etiam apozemate: quandoquidem eadem materia est. Atque hæ febrium ex bili pura simplici, vel composita, curandi ratio est.

DE FEBRIUM QUÆ
ex sanguine fiunt curatione.

CAP. V.

SAnguineæ febris synochæ dictæ signa hæc sunt Febris assidua, & inseparabilis rubedo in facie, venarum, arteriarum, atque temporum inflatio, & lassitudo corporis totius cum somnolentia, atque respirationis difficultate. Præterea urina rubra, & crassa, pulsus plenus & undosus.

Prin-

CURAN. RATIONE. 261

Principio igitur hujusmodi enæma parari jubeto.

Rx. Foliorum malvarum, & violarum ana m. j.

fiat decoctio: de qua accipe lib j. & ℥.

in qua dissolvatur casie fistulae mundæ 3 j.

olei violarum 3 j. ℥.

salis 3 ij.

fiat enæma. Si tamen ægrotus enæma pati nolit, & morbus inducias dat, hujusmodi potionem exhibeto. ut;

Rx. Capillorum veneris, florum buglossi, borraginis & violarum ana m. ℥.

prunorum damascenorum num. viij.

tamarindorum 3 ℥.

fiat decoctio: de qua accipiat 3 iiiij.

in quibus dissolue casie fistulae mundæ, & syrapi violarum ana 3 j.

vel illud Avicennæ exhibebis:

Rx. Syrupi violarum 3 j.

succi granati dulcis 3 ℥.

aquæ intybi, zuchari 3 ij.

misce, & fiat potus.

Hoc accepto, nisi repletio nauseatica adsit, vena communis incisa sanguinem usque ad animi etiam (si opus fuerit) deliquum mittito: plerumque autem potior est numeri multiplicatio, quam quantitatis.

Persæpe autem accidere solet, ut in plethorico corpore venæ difficillimè inve-

niri

niri possint, atque ex consequenti, neque sanguinis missio fieri. Huic verò sanguisugæ applicandæ sunt in coxis, tibialis, & spatulis: si verò sanguisugis, commodè uti nequeas, ventosæ in coxis, & scapulis cum scarificatione apponantur, aut hæmorrhoidæ, aut menstrua, aut sanguis ex naribus provocentur.

Post sanguinis autem missionem, cum nondum plenè febris abierit, syrups quosdam malæ complexionis correctivos, & concoctivos exhibebis.

Rx. OxySacchari scilicet, & syrapi intybi ana 3 j.

aquarum intybi & cichorei ana 3 j. ℥. vel syrups violarum, nenufaris, & acetostatis citri, vel papaveris, prout major vel minor refrigerandi necessitas postulaverit. Neque tamen interim enæmata prætermittenda sunt, dum syrapi concoctivi sumuntur.

Quoniam verò febris hæc somnum inducit, descriptis à nobis pedum lotionibus, crurum frictionibus fortibus ad divertendum uti oportuerit: nec non & faciem lavare, atque sæpius etiam aquam inspergere rosarum aceto commixtam, aut rosarum solam. Laboranti etiam nimia siti ægroto conditum dabis, quale in tertianæ simplicis curatione descripsimus,

simus, & cum eo aquam hordei bibendum, vel aquam frigidam copiosè, si nimia ad sit caliditas; neque aliunde potus hic impediatur. Utile autem & hoc conditum ad eam rem fuerit.

R. Conserv.e roscarum, buglossi, & borraginis, & violarum ana 3 j.

quatuor seminum frigidorum mundatorum omnium ana 3 j. **S.**

santalorum rubeorum 3 j. **S.**

margaritarum 3 j.

aurei & argenti ana p. iiii.

zuchari tabarzet, & zuchari candidi violati ana quantum sufficit, & fiat conditum inauratum. Epithema etiam hepati & cordi utiliter imponitur, & renibus etiam, ut dictum est in capite de Causone. Si tamen perseverat adhuc febris, & utina rubea ac crassa, & quasi perturbata ostenditur, ad lividitatem vergens; & systole praeterea impulsu augetur, indicium est synocham febrim in synochum converti, quamobrem synochi curatione utendum est.